



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 2. In Dalmatiâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

§. 2. *In Dalmatia.*

SPECVS est in Dalmatiâ Slenta nomine, vasta, & præcipiti hiatu, in quam deiecto leui pondere quamuis tranquillo die similis turbini emicat procella: *Plin. lib. 2. cap. 45.*

Dalmaticæ fodinæ tempore Neronis singulis diebus, quinquagenas libras reddebant. Inuentum & hîc aurum in summo cespice. *Idem lib. 32. cap. 2.*

In eâdem Dalmatiâ Spelunca Dianæ sacra, in quâ videre licet multa corpora, quorum costæ ultra sexdecim vlnas extenduntur. *Phlegon Trallianus de rebus mirabilibus cap. 12.*

In Ardizis populis Dalmatiæ mons ex quo aqua defluit non quidem omni tempore: diu excipitur, noctu sub dio ponitur, post sex dies, ipsôque adeò sexto die in perfectissimum sal mutatur. *Aristoteles in Admirandis, & Strabo lib. 7. qui*

Tamen id fieri docet in Valle quæ disternit Autariotas, & Vardizos: contingere id tempore verno, & intra quinque dies fieri hanc concretionem. Atque etiam pro his salinis diu inter illos populos pugnatum esse.

Later Thasius, & Chius in fluuio Narone reperti sunt, quoniam mare Ægæum per cauernas in Hadriaticum penetrat. *Theopompus, & Eratosthenes apud Strab. lib. 7.*

§. 3. *In Pannonia.*

BISONS animal in Pannoniâ tantæ magnitudinis, vt in vnius pelle quindecim homines cubare possint. Ita se accepisse à quodam sene ait *Paulus Diaconus lib. 2. cap. 8. Hist. Longob.*

§. 4. *In Dacia.*

IN Dacorum pueris post quartam generationem, nota redditur quæ parentum corporibus impressa est. *Plinius lib. 7. cap. 11.*

§. 5. *In Mysia.*

TRIBALLI Mysiæ populi solo visu fascinant, & occidunt quos